

vernacula. Certum est Apostolos et proximos eorum successores in linguis tunc vernaculis celebrasse, in græca, in latina, etc.; sed non minus certo constat liturgias cum idiomatibus non mutatas fuisse, et a multis sæculis, tum in Occidente, tum in Oriente, in veteribus linguis jam mortuis exerceri. Lingua Latina a septimo sæculo desiit esse vulgaris, et nihilominus ecclesia Catholica illius usum in sua liturgia constanter retinuit. In nono et in decimo sæculo, serio actum est Romæ de concedenda facultate episcopis et presbyteris apud Moravas degentibus, adhibendi in liturgia linguam Sclavonicam ibi vulgarem: quæ facultas, prius aliquo modo concessa vel tolerata, tandem fuit negata. Versionem Missalis Romani in linguam Gallicam, anno 1660, auctore *Voisin*, doctore Sorbonico, editam reprobaverunt, anno sequenti, clerus Gallicanus, Facultas theologica Parisiensis et Alexander VII.

Paulus V decrevit, 25 januarii 1615, rogantibus missionariis e societate Jesu, ut apud Sinas missam et divina officia Sinica lingua celebrari liceret. Missale in ea lingua confectum missum est Innocentio XI, anno 1681, et procurator generalis missionum apud Sinas Romam se contulit, ut a Pontifice approbationem et facultatem eo utendi sollicitaret, quam tamen non obtinuit.

« Est autem Apostolicæ Sedis, inquit *Bened. XIV*, de » Missæ sacrificio, l. 2, cap. 2, n. 11, in recenti populorum conversione ad fidem, pro variis circumstantiis, vel » permittere, vel prohibere vernaculæ linguæ usum in divinis officiis celebrandis. » Sed monet idem Pontifex, » constantem firmamque disciplinam esse, ne missæ idioma » mutetur, etsi mutet lingua vernacula. »

Non liceret ergo, etiam in casu necessitatis, uti Missali in linguam vernaculam converso, absque legitima Sedis Apostolicæ dispensatione.

Missale clausum ita ponendum est in altare, ut apertura ejus crucem vel tabernaculum semper respiciat.

4° Rubrica præscribit ut celebrans sit calceatus: non posset ergo celebrare nudis pedibus, saltem extra necessitatem. Communis sententia est tamen illum tunc, secluso

contemptu, non peccaturum mortaliter. *Gavantus* laudat eos qui communes crepidas in sacristia deponunt, et alias ibi paratas ad majorem sacri ministerii splendorem induunt. A peccato certe excusari non possent qui cum calceis judicio hominum indecentibus, v. g., fractis, sordidis, ligneis, etc., celebrarent.

5° Lavat manus, dicens: *Da, Domine*, etc., ut spiritualiter actus mundet, et propter reverentiam tanti sacramenti: hæc lotio ante missam est saltem sub veniali, et sub gravi, inquit *S. Ligorius*, l. 6, n. 409, si manus sint valde immundæ, propter reverentiam sacrificio debitam: ita *Quarti*, *Roncaglia* et *Tournely*. Lotionem vero post missam omittere nullum est peccatum, juxta *La Croix*, *Quarti*, *S. Ligorium*, et talis est communis praxis.

6° Sacerdos ad paramenta accedens, quæ non debent esse lacera et scissa, sed integra et munda, induit se, si sit prælatus sæcularis, supra rochetum; si sit prælatus regularis vel alius sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula orationes determinatas; quæ quidem orationes, ex communi sententia, sub veniali recitandæ sunt.

Apud nos simplices sacerdotes communiter non induunt paramenta supra superpelliceum.

7° Modos in rubricis determinatos pariter servare oportet, v. g., amictum in medio deosculari, illum super caput ponere et mox ad collum declinare, ac vestium collaria circumtegere; manicam albæ dexteram brachio dextro et deinde sinistram sinistro imponere; manipulum et stolum in medio, ubi est crux, deosculari, partem dextram stolæ super sinistram in formam crucis ante pectus aptare, etc.

8° Juxta rubricam, sacerdos omnibus paramentis indutus et capite cooperto (nisi ob legitimam causam calicem ipse non deferat), salutatur crucem per inclinationem capitis; sic pariter salutatur alium sacerdotem ex altari redeuntem et sibi occurrentem, cui dextram cedere debet, clerum in choro si per illum transeat, episcopum et magnates si

ante illos transiturus sit. Si transeat ante altare ubi non est SS. Sacramentum, caput cruci inclinatur; si resideat ibi sanctissimum Sacramentum, flectit uno genu, capite semper tecto; si venerabile Sacramentum sit expositum, flectit duobus genibus, genuflexus deponit birretum, et posita dextra super bursam, profunda capitis inclinatione adoratur Sacramentum; deinde, capite cooperto et manu super bursam posita, surgit et procedit. Eodem modo se gerit si ante sacerdotem Eucharistiam ministrantem transeat, nec expectandum est donec peracta sit communio, ex Decreto S. Congr. Rit. 5 julii 1698.

Si vero transeat ante altare in quo celebratur missa, ante consecrationem, eodem modo agit ac si non celebraretur; in momento consecrationis, flectit utroque genu, et deposito birreto, adoratur Sacramentum inclinatione capitis; completa consecratione, reponit birretum, surgit et procedit; inter consecrationem et communionem flectit uno tantum genu, capite cooperto, quia corpus Christi est in altari sicut in tabernaculo, ob corpus sacerdotis intermedium.

Si transeat ante reliquiam sanctæ Crucis expositam, unico genu flectet usque ad terram, eamque venerabitur. Sic, pro his omnibus, fere de verbo ad verbum *Romsée*.

Sacerdos ad altare procedendo nihil ore recitare debet, juxta eundem auctorem, licet alii dicant laudabiliter recitari *Ps. Miserere*, vel hymnum *Veni, Creator* (*Merati*, part. 1, p. 184, opinioni neganti adhæret), nec sumere aquam benedictam, ecclesiam ingrediendo (quidam tamen, et ipsa S. Rit. Congr. 23 martii 1799, id suadere videntur, si commode possit), nec permittere ut alter coram se calicem deferat; tenetur vero ipse eum juxta rubricam deferre, nisi ob senium, infirmitatem aliamve rationabilem causam, prævie paratus fuerit in altari, et tunc ad salutationes se discooperiet.

9º Cum sacerdos ad altare pervenerit, stans ante infimum illius gradum, caput discooperit, birretum dat ministro, profunde se inclinatur ante crucem, vel genuflectit, si sacrum Eucharistiæ Sacramentum ibi resideat. In omni

genuflexione autem genu dextrum in loco pedis ponitur, et corpus debet esse rectum, sine ulla capitis inclinatione; *Romsée*. Generaliter tamen caput leviter inclinatur et multo convenientius videtur. Si venerandum Sacramentum esset expositum, duo flecterentur genua et corpus profunde inclinaretur.

10º Quotiescumque sacerdos ad medium altaris accedit, vel de medio illius discedit, crucem per capitis inclinationem semper debet salutare, nisi altare deosculari vel corpus inclinare debeat; nam illud osculum vel hæc inclinatio inclinationem capitis rubrica præscriptam necessario includit.

11º Sacerdos e medio altaris ad unum cornu procedens, semper incidere debet naturaliter, ante se, non ex latere, nec recedendo, more cancrorum, et quando se convertit ad descendendum, vitare debet ne tergum directe ad crucem vertat.

12º Sacerdos ad altare stans et aliquid legens vel recitans, sedulo vitare tenetur, in toto sacrificii decursu, omnem capitis, pedum et corporis motum vel agitationem, et se tenere debet immobilem, nisi rubricæ quemdam motum corporis vel capitis exigant.

13º Notat *Romsée*, 1º quod sacerdos inclinatus et statim genuflexurus vel ad populum se conversurus, debeat prius se totaliter erigere; 2º quod sub *Dominus vobiscum*, *Orate*, *fratres*, etc., oculos ad terram figere debeat, ne aspectu curioso adstantes offendant; 3º quod manus disjungere et conjungere debeat dum habet faciem ad populum versam, non vero in ipso conversionis actu; 4º quod in elevatione oculorum, ubi est præscripta, caput indecore movere non debeat: unde si effigies crucifixi videri non possit absque indecora capitis erectione, sufficit oculos in altum elevare; 5º quod in inclinatione corporis, pedes ab antependio altaris uno circiter passu removendi sint, et ponendi juxta se invicem, absque extensione unius ultra alium; 6º quod signum crucis perficiendum sit sub verbis † notatis, et vitandum ne abbrevientur lineæ, aut manus ita celeriter moveatur ut celebrans appareat potius pulveres ab oblati-

excūtere vel muscas abigere, quam crucem formare. 7° Dum dextra manus cruces format, sinistra nunquam manere debet suspensa, sed ponitur in pectus si celebrans seipsum signat, in altare si oblata vel sanctificata signat, in librum si de signando initio Evangelii agatur. Item dum celebrans sinistra utitur, v. g., ad volvenda folia libri, dextram statim deponit in altare vel in Missale. 8° In junctione manuum, manus manui totaliter approximatur, ita ut quilibet digitus suum similem tangat, pollex dexter super sinistrum ponatur, et extremitas manuum junctarum neque faciem celebrantis, neque terram respiciat, sed ante pectus teneantur manus junctæ, casulam, quantum fieri potest, non tangentes. 9° In omni manuum extensione palma unius palmam alterius respiciat, digitis simul junctis, et eorum summitas humerorum altitudinem ac distantiam non excedat. 10° Cruces quæ fiunt super oblata non sunt faciendæ manu transversa seu incurvata, sed manu recta, ex S. Congr. Rit. 4 aug. 1663, lineæ uniuscujusque crucis debent esse rectæ et habere longitudinem quæ est ab extremitate parvi digiti ad carpum. Ad faciendam lineam transversam, manus reducenda est recte ad medium. Ubi fit signum crucis super calicem aut super hostiam separatim, lineæ non debent excedere latitudinem pallæ et patenæ. Super urceolum, ad benedicendam aquam sufficit ut sint duorum vel trium pollicum.

14° Qui ob infirmitatem celebrare non potest sine baculo vel nisi utroque brachio in altari innixio, licite celebraret privatim et etiam publice si adesset necessitas, v. g., ut populus audiret missam. Sic S. Ligorius, l. 6, n. 102, cum aliis nonnullis. Arbitratur insuper eum qui non potest stare rectus, ab omni peccato excusari si ex devotione celebrare velit. *Supponimus* tamen eum celebrare non posse sedentem, etiam ex necessitate, quia omitterentur genuflexiones aliæque cæremoniæ, et gravis fieret injuria erga divinum sacrificium.

15° Finito Evangelio S. Joannis, et non ante, sacerdos manibus junctis accedit ad medium altaris, ubi inclinatio cruci capite, accipit calicem manu sinistra, ad gradum

infimum descendit, ad altare per suam sinistram se convertit, et salutatur crucem vel facit genuflexionem aut prostrationem, etc. Erectus, accipit a ministro birretum, super caput ponit, incipiens antiphonam *trium puerorum* et statim canticum *Benedicite*, cui aliæ non substituendæ sunt preces, inquit *Romsée. Vide infra art. XI.*

§ IV. — Observationes ad missam solemnem vel simpliciter cantatam spectantes.

1° Si adsint ministri, videlicet diaconi et subdiaconi, rubricas ad singulorum officia respicientes sedulo discere, et paramentis suo ordini propriis se induendo, preces assignatas recitare debent. An rubricæ ad indumenta respicientes sint, quoad ministros, præceptivæ vel directivæ, non liquet. Probabilius tamen videtur eas, ut pote extra missam servandas et nullibi positive præscriptas, esse tantum directivas. Quæ autem intra missam occurrunt, licet non ab omnibus non habeantur ut præceptivæ, vix extra culpam negligi possunt.

2° Omnia quæ in missa privata secreto dicuntur, eodem modo in missa cantata dicenda sunt. Attamen, quæ in choro cantantur, voce quasi submissa seu media recitantur a celebrante, eo modo quo a solis ministris audiantur. Antiquitus celebrans Epistolam et Evangelium non legebat, sed illa a ministris cantata audiebat. Difficultas ea audiendi dum in ambone vel in alio loco dissito cantantur, nonnullos induxit ad illa legenda, et inde nata est rubrica nunc existens; *Romsée.*

3° Celebrans confessionem faciens, in sola missa cantata ad hæc verba, *et vobis fratres, et vos fratres*, aliquantulum se ad ministros sacros inclinat, dicendo *vobis* et *vos* ad diaconum, et dicendo *fratres* ad subdiaconum. Idem facit dicendo *Misereatur vestri*, absque pedum motione et capitis inclinatione; *Romsée*, t. 2, 3 part., n. 3, et Missale Cenom.

4° Si episcopus in propria diœcesi missæ majori assistat, ipse facit confessionem ab initio *In nomine Patris*, usque

ad *Indulgentiam* inclusive, et celebrans ei respondere debet, non vero simul cum illo dicere, ex Decreto S. Cong. Rit. 4 aug. 1663; *Merati*.

5° Celebrans sedere debet, præterquam in missa coram SS. Sacramento exposito celebrata, cum diacono et subdiacono in banco ad cornu epistolæ posito dum cantantur *Gloria* et *Credo*, etc., non vero in sedibus sibi paratis et distinctis, gallice *fauteuils*: ille honor reservatur prælatis; S. Cong. Rit. 19 maii 1614, et 12 junii 1627.

Ad missam majorem pertinent processiones, cantus et thurificatio.

P. I. Processiones.

Ante missam majorem diebus dominicis et festivis fit processio in ecclesia vel circa ecclesiam parochialem. Processiones fuerunt in usu etiam apud Judæos, ut patet pluribus exemplis, v. g., translatione arcæ de Cariathiarim in domum Obededom, et domo Obededom in Hebron, dedicatione murorum Jerusalem, post captivitatem Babylonicam ædificatorum, ut in lib. II Esdræ, cap. XII narratur. *Gavantus*, *Merati*, *Ferraris*, putant eas apud Christianos ortum duxisse a turbis in die Palmarum obviam Christo euntibus.

Certum est eas esse antiquissimas. Tempore Juliani Apostatæ, sollemnis facta est processio Antiochiæ, ad translationem reliquiarum S. Babylæ martyris; item Mediolani, sub S. Ambrosio, ad deferenda corpora SS. Gervasii et Protasii. Postea institutæ sunt processiones ordinariæ, aliæ extraordinariæ; modo in signum lætitiæ, v. g., in honorem B. Mariæ Virginis vel alicujus sancti; modo in signum luctus et pœnitentiæ, ut processiones S. Marci et Rogationum. Aliæ denique fieri solebant certis diebus in claustris monasteriorum, ad benedicendas vel purificandas cellas monachorum, ante missam: idem factum est in parochiis, percurrendo habitationes ecclesiæ proximiores, et in solemnioribus festis habitationes remotiores: hinc firmata est consuetudo aliquam processionem missæ parochiali præmittendi.

Non præmittuntur autem processiones missis votivis absque speciali episcopi concessionem, nec missæ coram SS. Sacramento exposito celebratæ.

P. II. Cantus, musica, organum.

Certum est apud Judæos magnam exstitisse cantorum et musicorum multitudinem, ad laudes Dei decantandas atque celebrandas. In primordiis Ecclesiæ psalmos et hymnos in conventu fidelium decantatos fuisse constat ex verbis Apostoli, Eph. v, 19: *Loquentes vobismetipsi in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino*. Quæ verba de mutuo et alterno cantu intelligenda esse interpretes docent, ait Card. *Bona*, *Rerum liturg.* l. 1, cap. 25, n. 19.

« De hymnis et psalmis canendis ipsius Domini et Apostolorum habemus documenta, et exempla, et præcepta, » inquit *S. Aug.*, *Epist.* 55, cap. 18. *S. Amb.*, ad consolationem fidelium in ecclesia excubantium, hymnos et psalmos secundum morem ecclesiarum Orientalium cantari præcepit, quem morem ecclesiæ Occidentales ab ecclesia Mediolanensi mutuaverunt, non quod antea non canerent, sed quia modus erat novus: ille cantus dictus est Ambrosianus. S. Gregorius Magnus aliam excogitavit cantandi methodum qua omnes plane et unisono canebant: unde cantus iste appellatus fuit *planus cantus*, et cantus Gregorianus. Per totam ecclesiam Latinam fuit adoptatus; sed erat difficillimus.

Anno 1022, *Guido Aretanus*, monachus S. Benedicti, novam cantus et musicæ rationem cum omnium admiratione edocuit: ope enim sex notarum quibus sonos exprimi posse monstravit, sicut sermo scriptura pingitur, puer balbutiens, sine ullo negotio, intra paucos menses ediscit quod homo grandævus et multo ingenio pollens pluribus annis vix addiscere potuisset.

Musica est scientia sonorum, seu ars commensurandi quantitatem quoad sonos. Duplex est, vocalis et instrumentalis; vocalis continet concentum, id est, harmoniam

seu melodiam, rhythmum et poesim; instrumentalis vero complectitur *euchordicam*, quæ fit ope nervorum aliarumve chordarum: *pneumaticam*, quæ fit flatu, v. g., cum buccina, tuba, etc., et *crusticam*, quæ fit pulsando, ut cum tympanis. Musica igitur habet pro objecto audibile, sicut mechanica tangibile, et optica visibile.

In Extrav. Commun. l. 3, de Vita et Honestate cleric. cap. unico, musica planum cantum depravans, mutans, derelinquens, reprehenditur, ac prohibetur a Joanne XXII, qui tamen prohibere non intendit ne diebus festis in solemnibus missis aliisque officiis fiant consonantiæ melodiam sapientes. Episcopus igitur præcipere potest ut musica sit honesta, devota et ecclesiastica, non vero eam omnino prohibere posset in ecclesia, nisi apud moniales, inquit *Ferraris*, vº *Musica*, n. 2. Unde musica tum vocalis, tum instrumentalis, licita est in divinis officiis, modo nihil immodestum aut nimis profanum sapiat.

Juxta communio sententiam, organa cœperunt adhiberi in ecclesiis tempore Vitaliani papæ, anno 672 defuncti.

Organa et alia quælibet instrumenta musica prohibita fuerunt in missis defunctorum a Bened. XIII, in concilio Romano, tit. 15, cap. 6. Responsio Cong. Rit. 31 martii 1629 supponit tamen permitti posse sono lugubri.

Organa non permittuntur dominicis Adventus et Quadragesimæ, exceptis 3ª dominica Adventus et 4ª Quadr. ad missam tantum ex Cærem. Episc. l. 1, c. 28, n. 10, ad missam et vespas, ex decisione S. C. R. 2 aprilis 1718; nunquam autem ad *Credo*.

Quædam sunt ecclesiæ antiquæ in quibus nec organa, nec ulla instrumenta musica unquam fuerunt admissa, ut capella summi Pontificis, Romæ, basilica S. Joannis Lateranensis, etc.

Concil. Trid., agendo de seminariis instituendis (*sess. 23, cap. 18, de Reform.*), inter ea alumnos docenda recenset cantum. Omnes igitur clerici regulas cantus ecclesiastici addiscere tenentur. Bened. XIV, const. *Annus qui*, 19 februarii 1749, ostendit *moteta* vulgaria ab officiis ecclesias-

ticis esse repellenda. S. Congr. Rit. 24 martii 1657 resoluit omnino prohibendas esse ab episcopo in ecclesiis, sive SS. Sacramentum sit expositum, sive non, *cantiones vel quorumvis verborum cantum materno idiomate*.

P. III. *Thurificatio.*

Thus est species gummi odoriferi ex arbusto Palæstinæ vel Arabiæ fluentis: nomen habet a verbo græco *θυειν sacrificare*, quia in sacrificiis adhibetur, et quædam sacrificia ex ipso thure olim diis offerebantur. Latine dicitur incensum, a verbo *incendere*, quia incenditur seu concrematur. Semper in usu fuit pro cultu divino apud paganos, Judæos et Christianos, etsi *Tertullianus* dixerit, in Apolog., cap. 30, nos puram precem Deo offerre, *non grana thuris*; et *Athenagoras*, Deum, patrem universorum, sanguine, nidore, floribus et suffimentis fragrantibus non egere: hæc aliaque similia non probant thus in Ecclesiæ primordiis non fuisse usitatum, sed duntaxat Christianos illud non offerre velut sacrificium, aut quasi Deus eo indigeret, more ethnicorum.

Thus ordinarie non adhibetur in missa privata: in missa solemnibus, celebrans omnibus paramentis indutus, ante egressum e sacristia, accepto cochleari a diacono, ter injicit thus de navicula super prunas ardentes in medio thuribuli, dicens, *Ab illo benedicaris*, et in latere dextro, subjungens, *in cujus honore*, et in latere sinistro, addens, *cremaberis*. Reddito cochleari, facit signum crucis nihil proferens. Hæc benedictionis forma semper usurpatur quoties thus benedicendum est, excepta benedictione quæ fit ante thurificationem Offertorii. Incensum autem non benedicitur quando immittitur ad incensandum solum sanctissimum Sacramentum, et ante oblata die Veneris in Parasceve: his casibus exceptis, semper benedicitur, etiam ubi incensandi sunt defuncti, ut probat *Merati*.

Bis totum incensatur altare in missis solemnibus, ante Introitum, et factis oblatas, ante manuum ablutionem: in prima incensatione sacerdos nihil dicit; in secunda uti-

tur forma benedictionis speciali, et incensando pronuntiat orationem cujus verba ita distribuit, ut singulis thuribuli motibus respondeat. In missa solemnī defunctorum, prior incensatio omittitur; posterior fit more consueto.

In missis majoribus, quæ, propter defectum ministrorum, non sunt stricte solennes, nihilominus fiunt apud nos more consueto incensationes, omissis quæ spectant ad diaconum et subdiaconum. Plures autem decisiones S. R. Congregationis id fieri prohibent (13 Aug. 1651, 22 jan. 1701).

Si venerabile Sacramentum in tabernaculo sit occlusum, celebrans illud adorat genuflectendo, juxta rubricam Romanam, sed non thurificat; adoratur enim quod latet, sed id solum incensatur quod manifeste patet. Ita *Gavantus*, *Quarti*, *Merati*, *Romsée* et alii. Consueta igitur thurificatio ad crucem refertur, velut si in altari non adesset tabernaculum.

Ubi sanctissimum Sacramentum est expositum, celebrans, post inmissionem et benedictionem thuris, accepto thuribulo, genuflectit, manu sinistra qua summitatem catenularum tenet, in altare posita, dextra thuribulum inter altare et casulam tenendo, postea in planum descendens, super infimum gradum utroque genuflexus, triplici ductu Sacramentum incensat. Mos est tamen in basilicis alimæ Urbis ut genuflexio hæc fiat super ipso suppedaneo, referente *Merati*, dicente hunc morem decenter servari posse in omnibus ecclesiis.

Incensatione altaris completa, diaconus a parte epistolæ stans in plano, facta inclinatione capitis profunda celebranti, eum triplici ductu incensat: deinde, post incensationem Offertorii, incensat duplici ductu chorum, dignitates ecclesiasticas et laicas, per ordinem, juxta rubricas et consuetudines, tandem subdiaconum tenentem patenam. Postea thuriferarius, accepto thuribulo, duplici ductu incensat diaconum, item acolytos, et ter populum.

In missis defunctorum solus incensatur celebrans, et episcopus si adsit.

Non probatur usus duorum thuribulorum in incensa-

tionem personarum, sed tota thurificatio faciendā est unico thuribulo, nisi, ex immemorabili consuetudine, canonici et magistratus simul thurificandi sint. S. Cong. Rit. 15 maii 1608 et 25 julii 1668, apud *Merati*, in Indice, n. 87, 168 et 173.

Eadem Congr. declaravit, 4 maii 1713, in Indice, n. 136, canonicos et dignitates genu flectere non teneri, quando episcopum celebrantem thurificant, nec ad benedictionem ejus suscipiendam; sed tantum caput inclinare.

Modus autem thurificandi personas in Ritu Romano præscriptus, apud nos non servatur.

ARTICULUS NONUS.

DE DEFECTIBUS IN MISSA OCCURRENTIBUS,

1° Inter defectus qui in celebratione missæ occurrere possunt, alii sunt substantiales qui sacramentum reddent nullum, et in materia, forma aut intentione ministri contingunt; alii vero dicuntur accidentales, quia ab substantiam sacramenti non pertinent, nec ejus validitatem impediunt. Multi esse possunt, nec ad certum numerum reducuntur.

2° Unusquisque sacerdos rubricas, tit. de Defectibus, attente legat, discat, memoria retineat, ut, casu adveniente, statim sciat quid sibi agendum sit. Nonnullas tantum communiore difficultates hic exponemus ac solvemus.

3° Si ante consecrationem advertat sacerdos hostiam esse corruptam, vel non triticeam, ea remota, aliam ponat, et facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desiit. Non igitur necesse est eam ante oculos elevare super patenam, neque facere super ea aut cum ea signum crucis.

4° Si post consecrationem id adverterit, posita alia, faciat oblationem ut supra, et a consecratione incipiat, nempe a verbis, *Qui pridie*, etc., et illam priorem, si non sumpserit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis Domini;